



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

In Gallias cogitans capitur. n. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1579. res efficeret.) Hæc *Thomas Stephani* cum suam & *Pondi* causam apud *Mer-*
 In Gallias *curianum* ageret.

XVIII Quintus annus abierat. Quo igitur se *Pondus* votis propiorem
 faceret, agrorum parte diuendita, diem condicit quâ in Gallias cum adiunctis
 sociis aliquot erat transfretandum. Dum Londini res suas componit, & ciuem
 hospitem suum sedulo in recta fide conatur instruere, à lictore inopinatè de-
 poscitur, Sandio Pseudo Episcopo rationem redditurus quo modo Regina legi-
 bus obsequatur. Crimen nullum obijcitur, nulla accusatio, legis violatæ
 nullum argumentum: datis tamen vadibus adstringitur vt secundo dicta die
 compareat Mercator quidam in Vico Sancti Marci quem malus dæmon in-
 federat Ecclesiæ precibus liberandus clam proponebatur. Huc *Pondus* San-
 ctorum hominum reliquijs munitus accurrit, multa piè de Ecclesiæ potestate
 in malignos spiritus, multa constanter de recta fide retinenda disserit:
 Non est id tam latenter factum, quin, cum ad Londinensem deferretur, is
 præhensum nostrum hominem, iam criminis qualiscunque reum, in carcerem
 compingeret. Post quartum mensem scripto rursus vadimonio liber paternas
 ad ædes vltra Londinensis fines semigrat. Orationi & virtuti priuatim, con-
 silijs salutaribus suggerendis (cum inter suos verlatur) intentum, viator hæc
 iterum occupat coram Horno Vintoniensi Antistite sistendum vnà cum alijs
 nonnullis spectatæ nobilitatis atque integre vitæ Catholicis, factâ subdolè spe-
 mitioris iudicij si inter importunas hæretici hominis sciscitationes declamatio-
 nelque parcerent omnes linguæ: silentium porò istud debilitati deinde & ig-
 norantiæ tributum est: quin pro concione contumeliôsè & petulanter Ca-
 tholici canes muti appellati. Acerbè id tulit *Thomas*: Itaque Horno die alte-
 ro pro tribunali magnificè ostentanti se & Vincentium Lerinensem extollen-
 ti, quod signa rectæ fidei verissimè traderet, litem indicit, Vincentium pro
 Catholicis stare, hæreticis aduersari contendit: dimicatur acriter, quod obti-
 nere rationum momento hæreticus non potest, conuitijs, vocibus, maledictis
 celebrat: *Thomam* argumento insistentem, duci iubet. Quantum inde mole-
 stiarum adeundum fuerit, mox ex ipsiusmet Epistola repetam ad simul capti-
 uos exaratâ.

Fraus hæ-
 reticorum.

Qui carce-
 res Lon-
 dini.

XIX. Carceres celebriores Londini quot & qui sint, vtile erit narrasse.
 Tres nimirum, in tribus vrbis portis: in ea quam *nouam*; quam *Luddi* (ad que
 hominem nonnulli vrbis ipsius originem referunt) & quam portam *domus*,
 vocant, (fuerat enim porta olim Monasterij ad occidentem solem positi) trans
 Tamesim quinque; *Bancus* seu sedes Regis; summi tribuni militum, seu *Ma-
 riscalli sedes*; Atrium Wintoniense quod *Clinicam* vulgus nominauit; *Leo al-
 bus*; & domus *supputationum*, seu dicas *Nomistirion*, aut *Computorium*. Sparsi
 per vrbem alij tres, *Fleta*, à profluente aquæ cursu dictus, aliud *Nomistirion*,
 seu *Computorium*, & Sanctæ *Brigittæ fontes*; in quos ferè ære alieno graues,
 vel vagi nebulones conijciuntur. Denique extimæ parti vrbis solem orientem
 verlus, *Arx* imminet, quam *turrim Londinensem* dicunt; Hæc eorum est
 custodia